



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

2. Horrendo viso ex fratre nepotem liberat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

amor, & verbis Deo ac rationibus æternis filij mollitus pater, non sustinuit obstare illius proposito, Romam repetere festinanti: quadri- duo igitur domi acto, breui prorsus ad videndum patrem nedum ab eius leuandum dolorem spatio, media hieme Romam iter relegit, vna comite patientia, vno diuinæ prouidentia commeatu, ruptoque magis omni propinquitatis vinculo quam soluto, nisi enim vt suos ad Deum proueheret alius, eorum nunquam meminerat, & iam è fratribus aliqui, singulariter soror, magnis arduisque itineribus ad excelsum virtutem nitentur. Itaque ad illos scribebat ardentis de diuinis & interioribus animi literas, quæ dum viueret asseruata, post mortem sunt venerationi, adeo vt, eius ex fratre filius scriptori commodatas ad excerptenda quæ vitæ illius adderet, repetierit ex eo non multo post, scribens videri sibi grandi bono carere, & noctes duas infomnem duxisse, quod orbatum se carissimo pignore sentiret.

2

Horrendo viso
ex fratre ne-
potem liberat.

Huius erat nomen Ioannes Dominicus Criminalis, & peculiaris valde causa venerationis in Sanctum patrum, cuius præsidium singulare, discrimen ingens illum docuerat, vt iuratus ipsemet affirmavit. Ægrotabat anno 1595. & iacentis vitam abiecerant medici, cum nocte quadam dum vigilat, flammam circa lectum videt horrendam erumpere, quæ momento cubiculum implet, media ex flamma dæmonem qui post circuitus aliquot in eum insiliens & minax vngulis, raptaturus ad inferos lacerum videbatur. Tam immani horrore extra se positum, nec Dei aut sancti vilius memorem, moxque vt putabat in ignem deturbandum, non deseruit Antonius, trementi ad latus alterum spectandum se dedit, serenus, & hilaris, brachioque arreptum timere vetuit, nam se illi adesse defensorem: post hæc amotum ab eo dæmonem in fugam vertit, premensque fugientem cubiculo exit, euauit etiam subito ille ignis, liberque iam ex his angustiis ægrotus, breui quidem planè conuulsi: sed quod intererat maxime, quodque viso illo salubri monebatur, melior animo factus est. Porro Sanctam proba rectaque suadendi libertatem, ne paterna quidem reuerentia in Antonio minuit. Vlyssipone in Indiam profecturus hortatus est patrem fortibus literis ad confessionem vitæ totius antea, ad exuendum affectum addictiorem cogenda pecuniæ, quam virum deceret, animæ suæ sollicitum: subdebat vero. *Per Christum te obsecro id agamus vt videre nuntio in beata illa ad quam conditi sumus patria possimus, in hac opinor nunquam in posterum visuri: saluti dum licet quærenda incumbamus, nec enim postmodum dicere iuuerit, nunquam sic fore credidissim.* Erit cum frustra cupiemus, quod præstare nunc vltro, & facile valeamus. *Si quid usquam boni; si quid mihi iucundi gratificatus es, per Christum te oro, thesaurum illum ambias Iesum Christum, veros omnes thesauros se vno claudentem; nec te filiorum, aut filiarum mordax cura ab eo retardet; fortassis enim futurus es nobis omnibus superstes tamen si optarem nos omnes iam esse mortuos, crucifixos inquam, & sæculo mortuos.*

3

In Soc. admittitur, in Lusit. ad studia proficiscitur.

Romam mensè Aprili ex patria ad S. Ignatium reuersus, in Societatem adsci